

concorditer sentiunt, quod Angeli sunt ante mundum corporeum creati. Quanto vero antea fuerint creati, non omnino constat inter ipsos. Ex Scriptura autem non constat determinate, quod Angeli fuerint creati simul cum corporibus, sed solum dicitur Genes. I, quod: *In principio fecit Deus cælum, et terram;* ubi nulla mentio fit de Angelis ad litteram. Et Ecclesiast. XVIII: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul;* ubi ly simul non constat omnino quod sumatur pro simultate temporis, sed pro simultate collectionis in unum universum construendum, quasi in simul, vel in unum omnia sint creata. Si enim velimus ly simul in toto rigore sumere pro simultate durationis omnimoda, inconveniens est, cum non in eodem puncto temporis, sed per successionem septem dierum sint omnia creata, ut probabilius est ex littera Genesis. Quare ex præcisa littera Scripturæ non omnino constat contrariari illi sententiam Græcorum in hac parte, ideoque a D. Thoma liberata est a nota erroris.

XII. Cæterum dubitant aliqui an in illa definitione Concilii Lateranensis desumpta ex canone Firmiter sæpius allato, sit certum Angelos non fuisse creatos ante mundum corporeum, ita ut oppositum sit de fide, vel saltem erroneum, aut temerarium. Aliqui enim quos refert Cajetanus infra qu. LXI, c. III, dicunt quod si S. Thomas recolisset sensum hujus decretalis quando scripsit illum articulum, non dixisset sententiam Græcorum non esse reputandam erroneam: nam Concilium docet: « Deum simul ab initio utramque condidisse creaturam, spiritualem et corpoream, angelicam videlicet et mundanam. » Ergo contra Concilii mentem, et decisionem sustinetur sententia Græcorum. Propter quod p. Suarez lib. I de An-

gelis, c. III, n. XIV, sentit, quod licet non sit de fide Angelos fuisse creatos cum hoc universo, sine temeritate tamen negari non posse propter dicta verba Concilii. Et idem sentit Valentia hic qu. XII, puncto II, et Molina infra qu. LXI, art. II. Oppositum autem tenet Vasquez disp. CCXXIV, c. II, qui in hoc sequitur Cajetanum loco citato et Sixtum Sennensem, quem ipse Vasquez citat. Eademque Vasquez sententiam sequuntur Arrubal, Granados, Alarcon, et alii. Et mihi videtur sententia tenenda, quia D. Thomas omnino vidit illam decretalem, imo interpretatus est illam opusculo XXXIII, (quod inter opuscula indubitata sanctus doctor circumfertur.) Ubi explicans verba citata Concilii, scilicet quod: « Simul ab initio temporis, etc. » dicit in illis verbis Concilium duplicem errorem excludere, tum Aristotelis, qui posuit omnia esse ab æterno; et ideo ponitur: « Ab initio temporis; » tum Origenis, qui posuit creaturas spirituales per se fuisse creatas a Deo, illis vero peccantibus creasse corpora, quasi vincula quædam quibus substantiæ spirituales alligarentur. Et propterea dicit Concilium: « Simul utramque condidisse naturam. »

XIII. Quod vero admittendo quod Angeli non fuerint creati ab æterno, an in sua duratione propria creati sint, ante tempus tamen corporeum, quod est motus cæli, Concilium non se intromisit. Unde ly ab initio temporis solum significat ab initio creatæ durationis, et non ab æterno. Neque enim Concilia solent aliquid definire, nisi contra errores determinatos: nullus autem error erat in hac sententia Græcorum, et S. Gregorii Nazianzeni ut D. Thomas docet; et ideo etiam post dictam decretalem recte sensit, nihil contra illam esse definitum. Neque

obiter Concilium explicavit mentem suam circa productionem Angelorum simul cum universo, quasi ex hoc opposita sententia sit temeraria, solum quia obiter id dixerit Concilium, quia ut temeraria sit opposita sententia, deberet Concilium expressioribus verbis loqui contra prædictam sententiam, et non illis generalibus, quibus solum significat non fuisse spiritualem creaturam factam ab æterno, quando dicit: « Ab initio temporis creatam, » ut ponderatum.

XIV. Nihilominus sententia Græcorum licet erroris, aut temeritatis notam non habeat propter dicta, saltem taliter quod certo temeraria sit, tamen hodie vix aliquid habet probabilitatis, tum quia in contrarium ponderat omnis fere auctoritas doctorum Latinorum; tum quia congruentior est locutioni Scripturæ, et decisioni Concilii, quia licet non sit expresse locutum contra hanc sententiam de creatione Angelorum ante corpora, tamen illud verbum ab initio temporis videtur sumpsisse in significatione usuali, et communi, qua nomen temporis sumitur pro duratione, et mensura motus cæli. Et Scriptura dicendo quod omnia creavit simul, etiam ly simul, sumendum est in propria et rigorosa significatione, quatenus significat coexistentiam durationis, et temporis, etsi non instantaneam, quasi eodem instanti omnia creata sint, saltem simultate temporis non discontinuati. Unde simpliciter hæc sententia conformius loquitur ad Scripturam, et Concilium. Tum denique, quia constat Angelos peccantes cecidisse de cælo in infernum, Lucæ X: *Videbam Satanam tamquam fulgur de cælo cadentem:* Isaïæ XIV: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Apocal. XII: *Draco pugnabat, et Angeli ejus, et non valuerunt, neque locus*

inventus est eorum amplius in cælo. Constat autem quod dæmones statim post creationem suam peccaverunt, quia dicitur Joann. VIII: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit,* ergo quando Angeli creati sunt, in cælo creati sunt, aut certe paulo post in cælo fuerunt, quia de cælo ceciderunt, quando peccaverunt; peccaverunt autem ab initio paulo post creationem suam: fuerunt ergo creati cum rebus corporeis, quia cælum ex quo dejecti sunt, corporeum est, et infernus in quem sunt projecti, et ignis qui diabolo paratus est, res corporeæ sunt.

XV. Ex hoc autem etiam deducitur, valde probabilis, et fere certa consequentia, Angelos fuisse creatos in cælo, si quidem ceciderunt de cælo, et ceciderunt paulo post creationem suam: ergo verisimile est in ipso cælo fuisse creatos. Quod etiam ex auctoritate Strabi super illud Genesis primum: *In principio creavit Deus cælum et terram,* probat D. Thomas infra qu. LXI, art. IV, et ratio id etiam persuadet, quia Angeli etiam sunt partes hujus universi, et connexionem habent cum corporibus ejus, quia movent cælos, et ad hæc inferiora sæpe mittuntur, et corpora assumunt ut constat ex Scriptura; inconveniens est autem dicere, quod creentur aliqua, quæ pertinent ad hoc universum sine connexionem ad illud, sed omnino separata, sive quoad tempus, sive quoad locum: ergo in hoc universo corporeo conditi sunt Angeli, sicut ad gubernandum, et ministrandum in illo ordinati sunt.

XVI. In quo autem cælo Angeli fuerunt creati, an in supremo cælo, quod est empyreum, an in aliis cælis, vel in suprema parte aeris, non omnino constat ex Scriptura, quæ solum dicit Angelos de cælo cecidisse; nomine autem cæli non so-

lum intelligitur cœlum supremum, sed etiam alii. Communiter tamen tenetur quod in supremo cœlo creati sunt; tum quia spirituales substantiæ excedunt dignitate sua omnia corporea, locus autem semper dignitati respondet, ut patet in ipsis corporibus, quæ quanto sunt nobiliora, tanto in superiori loco collocantur. Cur ergo hunc ordinem prætermisisset Deus in substantiis spiritualibus respectu corporum? Tum etiam quia id dicunt S. Isidorus, et Strabus citati a D. Thoma qu. LXI, art. IV. Tum denique, quia id significatur in Scriptura, Ezechielis XXVIII, ubi sub figura principis Tyri loquitur de primo Angelo ante suum lapsum de illo: *In deliciis paradisi Dei fuisti, tu Cherub extensus, et protegens, et posui te in monte sancto Dei: et infra: Et ejeci te de monte Dei, et perdidisti te, o Cherub protegens*; sed Cherub, seu Angelus peccans projectus est de cœlo, ut constat ex præcitatæ testimoniis Scripturæ: ergo ille mons, et ille paradus de quo loquitur Ezechiel est cœlum: cœlum autem quod est paradus non est cœlum aereum, sed cœlum empyreum, in quo erunt omnes sancti: ergo in illo creati sunt Angeli. Sentit autem D. Thomas loco nuper citato ad secundum propter quamdam auctoritatem Augustini III super Genes. ad litteram, cap. X, nullum esse inconueniens quod superiores Angeli qui habent virtutem elevatam, et universalem supra omnia corpora sit in supremo creaturæ corporeæ creatæ: alii vero habentes virtutes magis particulares sint creati in inferioribus corporibus.

DIFFICULTATES CIRCA CORPOREITATEM ANGELORUM ENODANTUR.

XVII. Explicavimus supra quo sensu multi sanctorum patrum quos

ibi retulimus, asserant Angelos corporeos esse, aut saltem id inter opinabilia ponant, aliqui etiam filios Dei, qui in Scriptura dicuntur generasse gigantes ex filiabus hominum Angelos esse dicunt: sed tamen quod generaverint propria vi, an semine aliunde excepto, non exprimunt, certius tamen est filios Dei ibi non intelligi Angelos, sed veræ religionis ac fidei homines ex progenie Seth descendentes; nec enim filii Dei vocari possent dæmones, sed boni Angeli, boni autem Angeli ex mulieribus, non generassent, etiam desumpto aliunde semine. Difficultatem etiam facit quod in septima Synodo generali, actione quinta cujusdam Joannis episcopi testimonium approbatum est a sancta Synodo, dicentis Angelos posse depingi, quia corporei sunt et pictura ipsa imitabiles. Quod utique de corporeitate vera procedit, nam alias frustra illa ratio adduceretur ad probandum quod possint depingi pictura vere et proprie corporali, qualis est apud nos. Ad quod etiam accumulatur alia motiva, ut quod dæmones torqueantur igne corporeo, quod non videtur posse intelligi, nisi ipsi aliquod corpus habeant; tum quia aliquibus rebus corporeis fugantur dæmones, ut fumo jecoris piscis cujusdam, Tobie VI, et similiter ad melodiam citharæ David spiritus malus recedebat a Saul, I Reg. XVI.

XVIII. Secundo, est difficultas in hac parte circa rationem, qua D. Thomas probavit in articulo primo Angelos esse incorporeos opposito modo, quo probavit supra quæstione XIV Deum esse intellectualem, videlicet quia est immaterialis, seu incorporeus; hic autem vice versa probat Angelos esse incorporeos, quia sunt intellectuales: « Conueniens, inquit, est dari creaturas intellectuales: ergo incorporeas. » Quod vero debeant dari creaturæ in-

tellectuales ex eo probat, quia conueniens est dari aliquas creaturas, quæ assimilentur Deo, non solum quantum ad esse et operari, sed etiam quantum ad modum operandi, Deus enim causat per intellectum, et voluntatem quasi ex fine præintellecto agens, et seipsum movens: ergo oportet quod aliquæ creaturæ sic operentur. Hanc rationem quasi minus efficacem omittit Vasquez, quia solum quamdam congruentiam affert. Ipse vero probat Angelos esse incorporeos, tum ex magna velocitate, qua moventur, sicut Job I, dixit Satan: *Circuivi terram et perambulavi eam*; tum ex eo quod intrans in humana corpora, et ea penetrant sine divisione, quod non possunt facere si non essent corporei. Instatur autem contra rationem D. Thomæ: non enim sequitur quod si aliqua causa producit effectum sibi similem in esse, et in operari, producat etiam effectum sibi similem, etiam in modo operandi, cum potius causa æquivoca (qualis est Deus) semper producat effectum sibi dissimilem in modo operandi et essendi: et dato quod producat Deus entitatem sibi similem in tali modo operandi, sicut operatur Deus, nempe per intellectum, non sequitur quod produxerit Angelos seu creaturas pure intellectuales, et incorporeas: sufficit enim ad hoc ut habeatur ista perfectio intellectualitatis in universo, quod produxerit creaturas intellectuales alicui corpori unitas, sicut anima hominis unitur corpori humano, aut sicut aliqui existimarunt intelligentias esse unitas corporibus cœlestibus, vel corporibus aereis, vel igneis. Ac denique totum hoc solum procedit ex quadam congruentia, quia in his quæ Deus libere facit, non potest adduci ratio sufficiens ex natura rei, quare hoc vel illud fecerit, sed solum ex judicio

suæ sapientiæ: productio autem Angelorum est omnino libera.

XIX. Ad primum, quantum ad difficultatem expatibus jam supra respondimus. Ad illud autem testimonium ex septima Synodo, respondetur in primis quod illud testimonium non fuit approbatum a Concilio: sed patriarcha Tarasius, postquam lectus est liber, in quo continebatur illud testimonium, significavit Synodo, et dixit quod: « Ille pater ostendit in illo libro quod et Angelos pingere oporteat quando circumscribi possunt, et ut homines apparere. » Et Synodus respondit: « Etiam domine. » Itaque Synodus non approbat illum librum episcopi Joannis, ubi illud testimonium habetur, sed solum respondet patriarchæ quod ita habetur in illo libro, sicut ipse dixit. Unde non oportet quod rationem illam approbaverit quare Angeli deberent depingi, scilicet quia sunt corporei, sed solum illud testimonium acceptavit, quantum ad hoc quod est Angelos posse depingi, quia circumscribi possunt, et quia apparuerunt in figura humana, quod totum verum est: sed quod ipsi sint corporei hoc non approbavit Concilium: sufficiebat enim pro illo articulo, qui tunc tractabatur in Concilio, nempe de adoratione imaginum, et quod licite possent depingi imagines Angelorum, quod ita asseruisset ille episcopus, cujus testimonium recitabatur, et quod Angeli apparuissent in forma corporea, licet in se corporei non sint. Quod vero etiam admiserit Concilium rationem ibi insinuatam, quod Angeli corporei sint, non solum in apparentia et in corporibus, quæ assumunt, sed etiam in substantia sua, hoc neque Concilium admisit, neque pertinebat ad suum institutum.

XX. Ad ea vero quæ obijciuntur ex parte pœnæ dæmonum, respon-

detur quod spiritus patiuntur ab igne corporeo, ut instrumentum est divinæ operationis alligantis eos, et cruciantis per illum ignem corporeum: non autem quod ignis illi ratione suæ activitatis corporeæ agat in ipsos: alioquin probaretur etiam quod anima humana non esset substantia spiritualis, quia quando separata est, etiam cruciatur igne illo. De modo autem quo ignis ille agit in spiritus divina virtute, dicemus infra circa quæstionem LXIV.

XXI. Ad illud vero quod dicitur de rebus corporeis, quibus dæmones fugantur, respondetur ex D. Thoma quæst. vi de potentia, artic. x, et hic quæst. cxv, artic. v, quod huiusmodi res corporeæ non operantur in ipsos dæmones virtute propria, sed vel virtute divina, seu superioris Angeli, qui potest cogere ipsos dæmones, vel quia ipsi dæmones alliciuntur rebus corporali-bus tamquam signis quibusdam, quia exhibentur eis in signum honoris divini, cuius sunt cupidi, ut ex D. Augustino ibi docet XXI de civitate, cap. vi. Quare fumus illius jecoris Tobiae vi non fugavit dæmonem virtute sua corporea, sed ut dicitur capite octavo quando Tobias protulit partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos: *Tunc*, inquit textus, *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti*. Non ergo fumus jecoris fugavit dæmonem, sed ad positionem illius (et fortasse propter mysterium quod significabat) virtute superioris Angeli, scilicet Raphaelis, dæmon ille apprehensus, et religatus est. Illud autem quod dicitur de musica David, respondetur, quod spiritus ille malus recedebat canente David et pulsante citharam virtute divina, vel propter hymnos illos, et psalmos quos canebat David, qui erant verba

sacra, ad quorum deprecationem virtus divina fugabat dæmones: vel etiam disponebat animam Saulis per musicam, ut reduceretur ad statum magis pacatum, et sic excitaretur magis ad Deum, et minus esset dispositus ut spiritus malus excitaret illum: id enim virtute musicæ fieri posse, et propter hoc excogitatum esse quod in omni cultu divino aliquid consonantiæ musicæ exerceatur, ut animus hominis excitetur ad Deum, docet S. Thomas super Psalmum xxxii, explicans illud verbum: *Confitemini Domino in cithara, etc.*

XXII. Ad secundum respondetur D. Thomam congruentissimam rationem reddidisse ex parte ipsius universi, quod postulat esse perfectum, et integrum in suis partibus, et gradibus, ex quibus constat, inter quos præcipuus est gradus spiritualium substantiarum. Congruentiæ autem p. Vasquez nullius momenti sunt, nec aliquatenus probant spiritualitatem Angelorum, quæ efficaciter probari non potest, nisi ex operatione per se spirituali, qualis est intellectio. Velocitas autem quantumcumque magna, non probat spiritualitatem, quia etiam corpora maxima velocitate moveri possunt, ut patet in corpore gravi quando multum ponderosum est, quod incredibili velocitate movetur, et longe majori cælum ipsum: nam, ut astrologi notant, stellæ quæ sunt in circulo majori firmamenti tanta celeritate volvuntur, ut in minuto horæ pertranseant plusquam septingenta millia leucarum, quod est plusquam centies circumire totam terram in minuto horæ. Quod vero intrent Angeli in corpora, dici potest id tribui subtilitati suorum corporum, sicut aer intrat per poros, vel quia possunt adeo subtiliter dividere corpus, ut ad illud intrent quin sentiantur. Quod autem in uno

homine possint esse multi dæmones, non probat efficaciter spiritualitatem, cum possit subtile corpus in minorem locum contrahi, vel in majus extendi. Quare istæ congruentiæ Vasquez valde infirmæ sunt ad probandum Angelos carere omni corpore, sed solum probant carere corpore crassiori, et imperfecto. Ratio autem D. Thomæ optime probat incorporeitatem in Angelis ex operatione maxime incorporea, qualis est intelligere, cum quo tamen stat quod etiam optime probaverit Deum esse intelligentem, quia est immaterialis, et incorporeus, quia ibi processit a priori, hic a posteriori, eo quod ex effectibus creatis prius nobis innotescit Deum carere corpore, seu esse immaterialem, quia est primus motor, non motus ab alio, atque adeo carens potentialitate: ergo materialitate. In Angelis vero magis est nobis notum quod intelligant, eo quod effectus eorum apud nos ex locutione, et aliis intelligentiæ actibus magis innotescunt, et ex intellectualitate recte probatur spiritualitas: quod vero ita sint puri spiritus quod nullum corpus informet, ex eo probatur, quia sunt substantiæ intellectuales perfectæ, et non sicut nos. Unde cum intellectualitas de se abstrahat a corpore, nec petat illud, sed potius impediatur per corpus, necesse est quod si dantur creaturæ intellectuales cum unione ad corpus, quod imperfectionem in eo genere dicit, dæmones sint aliquæ creaturæ in illo genere intelligendi perfectæ, atque adeo omni corpore, et corporeo affectu carentes.

XXIII. Ad instantiam vero contra rationem D. Thomæ qua probat debere dari has creaturas intellectuales, ut dentur aliquæ creaturæ quæ perfecte assimilentur Deo in modo operandi, respondetur optime sequi quod causa perfecte assimilans sibi

effectum, debet illi communicare suum modum essendi, et agendi, quantum fuerit possibile, scilicet causa univoca secundum eandem speciem atomam: æquivoca vero secundum analogiam, et proportionem similitudine quantum ad gradum, non quantum ad speciem; et sic intra illum gradum debet assimilare sibi effectum modo sibi possibili: tunc autem assimilatur, quando facit illum non solum existentem, sed etiam operantem. Modus autem operandi est duplex, scilicet executivus tantum, sicut qui operantur sine cognitione, executivus, directivus, sicut qui operantur per intellectum qui dirigit, et per potentiam moventem quæ exequitur. Et hic est altior modus assimilandi Deo in tantum quod natura intellectualis dicitur facta ad similitudinem, et imaginem Dei. Sicut ergo non est contra analogiam ad Deum causantem quod producat aliquis effectus, non solum existens, sed etiam operans, ita non est contra analogiam Dei ad creaturam, quod producat aliqua creatura, quæ sit similis Deo in operando directive, seu per intellectum, cum distantia tamen infinita in ipso ordine naturæ.

XXIV. Ad alteram vero instantiam respondetur, quod D. Thomas in hoc articulo solum probavit debere dari creaturas spirituales, et incorporeas, quæ sunt Angeli. Quod vero totaliter, et perfecte sint spirituales, nec habeant corpora sibi naturaliter unita, probat quæstione sequenti, articulo primo, ex perfecta assimilatione ad Deum in gradu intellectuali, eo quod inconveniens est dari naturam intellectualem creatam solum in gradu imperfecto, et deesse perfectum gradum in linea intellectuali, quæ tunc est perfecta, quando caret omni corpore, quia intelligere ex adjunctione

corporis imperficetur, et ex abstractione ab illo constituitur. Hæc autem ratio non probat efficaciter Deum de facto produxisse Angelos, sed solum probat id connaturaliter exigi ad perfectionem universi, et ad perfectionem lineæ intellectualis. Unde solum procedit ex suppositione quod Dei perfecta sunt opera, et maxime integrum est opus totius universi.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus careat omni compositione materiæ, et formæ?

I. Etsi D. Thomas in articulo primo quæstionis probatum reliquerit dari creaturas spirituales omnino incorporeas, quæ sunt Angeli, quia intellectuales, restabat tamen dubium, an ista entitas spiritualis sit omnino expers omnis compositionis ex materia et forma, ita quod sit forma simplex subsistens, an vero detur in eis aliqua materia, sive similis nostræ, sive alterius rationis, sive corporea, sive spiritualis: licet enim apud D. Thomam idem sit aliquid esse corpus, et esse compositum ex materia, tamen apud alios non est idem: nam Averroes sensit cælum non esse compositum ex materia, et forma, licet sit corpus, quia extensum est, ut videmus, et Avicbron in libro fontis vitæ, quem citat D. Thomas opusc. xv, cap. v, et in hac quæstione, articulo tertio dixit substantias spirituales, quales sunt Angeli, esse compositas ex materia, et forma, ut ratione materiæ convenient cum natura corporea; et quidam ex theologis scholasticis etiam admittunt dari in Angelis materiam, ex qua componantur, sed spiritualement, et distinctam a natura corporali, quod tribuitur Alensi II

p. quæst. xx, membro I, in fine, et qu. XLIV, membro II; D. Bonaventuræ in II, dist. III, art. I, qu. I ad II; Aureolo apud Capreolum in II, dist. III, quæst. I, circa primam conclusionem et aliis. Quare distinctam difficultatem debuit D. Thomas excitare circa corporeitatem Angelorum, et circa simplicitatem, seu in compositionem ex materia, et forma, sicut etiam supra quæstione tertia; disputando de Deo primo ostendit in Deo non esse corpus, deinde non esse compositum ex materia, et forma.

SENTENTIA DIVI THOMÆ.

II. Certa nihilominus est D. Thomæ sententia, quæ duas continet partes.

Prima, Angeli non sunt compositi ex materia, et forma loquendo de materia corporali, qualis invenitur ad nos.

Secunda, Angeli ex nulla materia sunt compositi, etiamsi fingatur dari materiam spiritualem, quæ quantitati subjecta non sit. Illa enim dicitur materia corporea, quæ quantitate afficitur, quia omne quod est extensum, corpus est, unde sequitur Angelos esse formas simplices, id est, non habentes aliam entitatem quam formæ, in qua subsistunt quasi formæ completæ, et non facientes compositionem cum aliqua alia comparte quæ dicitur materia. Probat D. Thomas hanc sententiam primo generaliter ostendendo quod Angeli sunt formæ simplices, et consequenter omni materia carent. Secundo, discurrendo per utramque materiam, sive nostram corporalem, sive alterius rationis spiritualem, et singulas excludendo.

III. Primum probat D. Thomas opusculo xv, cap. xviii, ex Scriptura, et patribus. Ex Scriptura qui-

dem, quia Angeli nominantur virtutes, sicut dicitur Psal. cii: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, benedicite Domino omnes Virtutes ejus*: et Lucæ XXI: *Virtutes cælorum commovebuntur*; quod de sanctis Angelis omnes doctores exponunt. Si autem Angeli essent materiales ex quacumque materia, non possent dici virtutes, sed habentes virtutes, virtus enim est forma operativa: nihil autem compositum ex forma, et materia dicitur sua forma, sicut homo non dicitur sua humanitas, vel sua anima, vel sua virtus: esset enim incongrua prædicatio: Homo est anima, homo est virtus, sed est habens animam, et habens virtutem: ergo si Scriptura Angelos nominat Virtutes, sicut etiam nominat Potestates et Principatus, manifestum est quod sentit eos esse formas, non autem compositos ex materia, et forma, aut loquitur Scriptura in sensu improprio, quod sine ullo fundamento in hac parte diceretur, cum aliunde nobis non constet ex ipsa Scriptura Angelos esse compositos, ut dicamus improprie loqui quando illos vocat Virtutes.

IV. Ex patribus hoc idem probat D. Thomas et præcipue ex D. Dionysio, qui cæteris abundantius Angelorum notitiam nobis tradidit. Eamque doctrinam ex Apostolis hausit, præcipue ex Paulo, cujus discipulus fuit. Inquit ergo S. Dionysius de Angelis loquens in quarto capite de divinis nominibus, quod: «Intellectuales substantiæ ab universa corruptione, morte, et materia mundæ existunt, et sicut incorporeales, et immateriales intelliguntur.» Ubi non solum excludit Dionysius corporeitatem ab Angelis, sed etiam omnem aliam materiam; tum quia non solum incorporeales, sed etiam immateriales nominat. Similiter in primo capite de cœlesti hierarchia: «Hierarchias materialibus figuris variis

tradidit,» et in secundo capite ejusdem libri, quærit quare: «Sacri doctores ad corporalem formationem incorporealem, scilicet Angelorum venientes, non figuraverunt ea pretiosissimis figuris, sed immaterialibus substantiis, et deiformibus simplicitatibus terrenas figuras imposuerunt.» Ubi aperte supponit, Angelos ita esse immateriales, quod sunt simplices, et consequenter omni compositione carent. Quod est esse solum formas, quia non possunt Angeli esse sola materia, quia Angeli operativi sunt, materia autem sola, non est operativa, sed receptiva; et ita operatio sequitur formam. Si ergo Angelus est simplex, et operativus, ergo est forma, non materia. Citat etiam D. Thomas Augustinum secundo super Genesim ad litteram, ubi dicit, quod: «Conditio spiritualis, et intellectualis creaturæ lucis appellatione intimatur, quæ primo die est condita, in qua natura intelliguntur omnes sancti Angeli, atque Virtutes.» Et Damascenum, qui dicit, quod: «Angelus est substantia intellectualis, et incorporea.» Et sumit incorporeum pro eo, quod est immateriale: subdit enim, quod: «Incorporeus, et immaterialis dicitur Angelus quoad nos: omne enim comparatum ad Deum crassum, et materiale invenitur.» Sentit ergo Damascenus quod Angelus caret materia corporea, et quacumque alia materia compositiva, qualem nos habemus, quia non solum incorporeum, sed etiam immaterialem dicit respectu nostri. Quod autem comparatione ad Deum dicatur materialis, non est quia habeat materiam, quæ est pars compositi, sed quia non adæquat divinam simplicitatem, eo quod est compositus ex esse et essentia ex natura et subsistentia, habetque potentialitatem, et non est actus purus, potentialitas autem modum habet mate-